1869. V. 73.

Petricius Sebast.

De natura, causis sympto„
matis morbi Gallici.

SEBASTIANI PETRICII
DE NATVRA, CAVSSIS, SYMPTOMATIS MORBI GALLICI eiusque curatione.

Quæstio.

AN morbus Gallicus, corruptela totius substantiæ iecoris, ex occursu venereæ virulentiæ contracta, antiquo seculo ignota, variis, miserandisq; symptomatis ægrum afficiens, methodo à veteribus Medicis præscripta, ex natura morbi, ægri viribus, partibus affectis, indicationibus sumptis, præsidiis partim ratione partim experientia inuentis, sola ratione, exclusa prorsus experiẽtia, administrandis, curãdus sit necne?

APVD CELEBERRIMAM TOTIVS POLONIÆ Academiam Cracouieñ ad disputandum proposita.

Die Martij Mensis iiij. hora xiij. & sequentibus ad placitum arguentium, Anno 1591.

In Lectorio DD. Theologorum.

Clariſs. viris D.

SYLVESTRO ROGVSKI,

Apud Sereniſs. Reginam Poloniæ, &c.

PAVLO NOVICAMPIANO,

Apud Leopolienſes,

STANISLAO BARTHOLANO,

Apud Sendomirienſes,

Philoſophis & Medicis celeberrimis.

SEBASTIANVS PETRICIVS PILSNANVS, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, S. P. D.

NON gloriæ, ſed ingenii acuendi ſtudio, viri clariſs. publicam inſtituo diſputationem: illud vanum, hoc homini literis conſecrato, in omni vita neceſſarium puto. Neceſsitatem duplicem in me video: officii, quod commune eſt mihi cum omnibus literatis; legis, quæ peculiaris eſt eius loci, in quo ſum. Ea eſt Academiæ Cracouieñ lex, vt ii, qui doctoratus inſignia, in aliis Academiis accipiunt, per publicam diſputationem, ad eius profeſsionis facultatem, in qua Doctores creati ſunt, admittantur. His ego legibus ab ineun-

te ætate viuo; quibus non parere, religio est: obsequi, honestum. Itaque cùm superiore anno, in clarissimo totius Italiæ Gymnasio Patauii, Professorũ omniũ concordi iudicio, Doctor Medicinæ renunciatus sim, in hac autem in numerum Professorum philosophiæ cooptatus, stipendia toto septennio confecerim; conuenientiùs esse duxi, nomen & dignitatem eius, quæ amplior est, professionis per disputationem hìc quoq. retinere, & illius apud hanc authoritatem tueri, cuius iudicio stetit, vt à philosophiæ ad medicinæ doctoratum proueherer. Dum apud hanc dico, doctissimorum virorum, qui de rebus medullitùs iudicant, publicum consensum: non imperitæ multitudinis, quæ quosuis pallio doctoris indutos, Doctores opinatur, applausum intelligo: vnumquemq. autem professionis suę rationem reddere, apud eos, qui de ea optimè iudicare possunt, decet. Hoc licet pleriq. qui se lege solutos putant, qua cauetur, ne aliquis in hac vrbe medicinam faciat, nisi qui ab Academia hac approbatus sit, non faciunt: quid mea? Mihi expeditior ad virtutem via semper visa est; non id, quod alii, sed quod iure debeam facere. Quare, si voluntatem meam consideretis, audax sanè inceptum: si legis præscriptum, officiosum: si eos, apud quos de ingenio periclitandum

dum, formidoloſum eſt. Audacia,minuitur officio: legis præſcriptum, obſequio: periculum cauetur, honeſta contentione. Materia diſputationis minus apta theatro fortaſsis videtur; ſcholæ tamen Medicorum accommodatiſſima. Dicere, quod ab aliis turpiter fit, vt ſubuenias non inſultes, inhoneſtum non puto: turpitudinem verò in ſeipſum admittere; tum demùm turpitudo ipſiſſima eſt: viri tamen boni eſt, calamitatem aliis non exprobrare; ſed ſtudio, cōſilio, opera ſubuenire, in malum prolapſo. Ac tractata quidem hæc materia eſt à viris clariſſimis, inter quos, vt reliquos taceam, eſt Albertus Ocellus, vir doctiſſimus, qui patria lingua ſatis eruditè, copiosè, & diligenter, hanc proſequutus eſt; nondum tamen ob ſui difficultatem ita conſumata, vt poſteris eius excolendæ ianua penitus clauderetur. Abſit inuidia dicto. Non id mihi aſſumo, vt cultiorem feciſſe videri velim: verùm aliis, qui nos & ingenio & iudicio longè ſuperârunt, eius rei occaſionem porrexiſſe. Nobis ſufficiat, aliorum ingenio paratam ſegetem in horreum exercitationis conuehere; vt hac ad vtilitatem ægrorum, qui in noſtra regione hoc morbo frequentes tentantur, expeditiùs vtamur. Hanc diſputationis tabellam, vt vobis prę-cipuè dedicem, hæ me potiſſimę impulerunt cauſſæ.

 Primò,

Primò, quòd in hac ſcientia, & induſtria, & obſeruationibus, non ab aliis quęſitis, ſed veſtris medicationibus partis, plurimùm polleatis: vt ad eā rem maxima adiumenta, vel in his reprehendendis, vel corrigendis, vel illuſtrandis præſtare vos poſſe, nemo non intelligat. Deinde, quòd omni inuidia vacui, non ſolùm veſtri ordinis viris, ſed etiam toti Academiæ, quam & florentiſſimam & ornatiſſimam apud Regem & Primores regni contenditis, fautores eſtis: neq. id ſolùm ex prompta voluntate, qua quemque contentum eſſe oporteat; ſed opera & fortunis quibus pauperiores profeſſores ſubleuatis, & magnam adoleſcentum turbam in ſtudiis literarum liberaliſſimè fouetis. Hoc vnum in votis habentes, vt patria noſtra, ſaltem eam vnicam, quæ bonorum virorum congregatione primitus coaluit, Academiā ad erudiendos ſuos natos retineat: ſi vel hanc ad nitidiorem formam propoſitis præmiis, quæ ad virtutē excitarent, redigere negligit, vel plures æmulatione aliarum nationum inſtituere non poteſt. Turpè enim eſt nos Polonos, ingenio, iudicio, induſtria, non inferiores aliis, ad exteros culturæ cauſſa cum maximo fortunarum diſpendio, & turpi peregrinorum morum verſura proficiſci; cùm & commodiorem domi in patriis moribus culturam habere, & exteros ad

ros ad

ros ad nostra quoq. admiranda excitare poterimus. Ego verò hoc de meis Polonis, quod poëta de agricolis, & quod Socolouius noster, vir grauissimo iudicio, in Quæstore voluit, verissimè & aptissimè dicere possum, tum demùm illos futuros felices, sua si bona norînt. Id quod Simon Simonides Leopoliensis grauissimè cecinit his verbis:

Nunquam tamen magis meam
Mentem laudum externarum admiratio ducet
Quàm indigenarum: Istam
Vanam & nefandam pestem enim scio
Turbâsse vitam, & plurima iam diu
Splendida regna, solo
Resque publicas, sacras
Vertisse; in sua ciues
Dum sunt iniqui, atque extera
Sectantur insolenter.

Sed non longè abièro, tu Bartholane præstantissime, filium maiorē natu Latinis, Græcis, Hebraicis literis domi pulchrè erudiri fecisti, vt abundè declarares frustrà ad exteros, earum rerum caussa, quę domi sine magna cura haberi possunt, mitti. Pergite igitur, viri clarissimi, in studio eius partis Reipub. in qua omnium ordinum fundamentum incolumitatis consistit, promouendæ, vt cœpistis, currere; vt vestra cura, & numerosiores in hoc regno Medici sint,

qui

qui certè rari sunt, & vestris incitamentis Patria pul uere neglectarum artium, quo iam pridem aspersa in squallore iacet, iam tandē excusso, nitidior splendidiorq. exteris nationibus appareat. Quare quod omnibus in vniuersum, de his quę hîc asseruntur iudicandi munus, publicè proponitur, hoc vobis priuato quodam iure dicatur & consecratur: vt quæ videbuntur falsa, refellere; quæ vera, approbare; quæ obscura, illustrare; quæ ambigua, fulcire ac stabilire, summa qua in hac arte polletis industria velitis. Mihi à vobis reprehensio non molesta: approbatio laborum incitamentum: illustratio grata futura est. Valete, Cracouiæ, die Feb: 14.

Anno 1591.

DE NA-

De natura morbi Gallici.

CONCLVSIO I.

Morbus Gallicus est corruptela totius substantiæ iecoris, & humorum in eo contentorum.

COROLLARIA.

1. *Morbi, qui corpus nostrum affligunt, alij agunt manifesta qualitate, vt caliditate, humiditate, siccitate, & frigiditate: alij verò toto temperamento, quæ totius substantiæ est actio, vt venena, & quæ toto temperamento inficiunt.*

2. *Actio manifesta hæc, ab intemperie prouenit, cuius caussa est mistio, quæ relinquit excessum alicuius qualitatis ex mutua actione & passione elementorum prouenientem. Totius verò substantiæ actio per generationem consequitur formam substantialem.*

3. *Mistio verò à generatione differt. 1. Quòd illa fit per primas qualitatum operationes, nempè calidum, frigidum, siccum, & humidum, inuicem inter se agentes & patientes. Generatio verò non fit per primas qualitatum operationes, sed per secundas, scilicet per congregare, coniungere, immutare, &c. 2. Quia mistio fit omnium qualitatum vnio: generatio duarum tantùm, scilicet humidi & sicci: sic enim definitur à Philosopho 4. Metheororum cap. 1. Generatio est mutatio humidi & sicci ab actiuis facultatibus facta. 3. Quia mistio generationem antecedit, hæc consequitur.*

4. Ut igitur mistio secundùm naturam temperiem efficit vel intemperiem, non morbosam agentem manifestò, videlicet calido, vel frigido, vel humido, vel sicco: sic recessus à temperamẽto efficit intemperiem morbosam & præternaturalem viciantem actiones, vel ratione calidi, vel ratione frigidi, vel humidi, vel sicci, vel horum coniugatione. Et vt generatio cuique rei vel membro propriam actionem indit, veluti ventriculo chylificationem, epati sanguificationem, cerebro sensitiuarum facultatum vim &c. sic recessus à statu generationis efficit deprauatam proprietatem rei, vt sanguificationem vel ablatam, vel diminutam, vel corruptam.

5. Nam in generatione mistorum tria sunt consideranda. 1. Vnio omnium elementorum alteratorum, quæ efficit crasim, vel complexionem. 2. Proprietas in pasiuis qualitatibus tantùm, quæ est congrua terminatio humidi cum sicco, ex prædominio calidi terminantis, ad quam sequitur peculiaris actio rei genitæ: cuius causa præcisè cognosci non potest, quia gradus complexionis non nisi naturæ soli cogniti sunt: vt magneti attractio ferri, veluti propria actio post generationẽ relicta est, cuius causa cognosci non potest: sic chylificatio ventriculo, sanguificatio epati &c. 3. Consideratur eductio formæ substantialis, quam necessariò consequuntur, & complexio primarum qualitatum per primas operationes, & proprietas paßiuarum tantùm qualitatum per secundas operationes.

6. Tria ergo erunt in re viuente, forma substantialis, proprietas, & temperamentum.

7. Hoc autem differt inter proprietatem rei, & temperamentum: quòd temperamentum manifestò agat, secundùm vim

quali-

qualitatis sibi inditæ indifferenter: Proprietas agit in hoc vel illud determinate: vt Rhabarbarum, quia calidum, attrahit humorem; at quod attrahat bilem flauam tantùm, id proprium ei est à natura tributum: sic ventriculus, secundùm qualitatũ temperamentum coquit cibos; at quod chylificat, hoc ei à natura est tributum proprium. Quamquam non omne calidum purgans asserendum est; sed quod habet inditam sibi à natura talem facultatem. Etenim piper calidum est, non tamen ducit humores, verùm concoquendi vim habet.

8. Quod idem est, ac si dicas temperamentum agere manifesta qualitate: proprietatem autem rei, quæ à tota substantia proficiscitur, & totius substantiæ nomine appellatur, occulta virtute, quæ nullius interuentu consequitur formam substantialem: cùm temperamentum sit tanquam secundarium instrumentum. Ideò Galenus 3. meth. asserit medicamentorum attractiones perfici proprietatibus, quæ in substantiis sunt rerum.

9. Morbus itaq; Gallicus, non agit manifesta qualitate; sed à proprietate: quia proprietas iecoris, quæ consistit in sanguificatione corrumpitur; ita vt bonos succos, quibus membra nutriantur, generare nequeat.

10. Itaq; fundamentum huius morbi, constituimus epar ipsum sanguificationis officinam, tanquam proprium subiectum. Nam licèt in pene vel in faucibus initia mali huius apparuerint; tamen antequam epar inficiant, rectè adhibitis medicamentis facilè tolli possunt: nec insignem in ægro faciunt actionum deprauationem; vt ob hoc non mereantur dici morbus Gallicus.

11. Quare in epate, cùm tria sint: forma substantialis, tem-

peramentum & proprietas: in affectis morbo Gallico, non læditur principale agens, scilicet forma substantialis; quòd hæc nec intensionem nec remissionem admittat. Non læditur quoque temperamentum: quia manifesta qualitate agentibus medicamentis mederemur huic morbo: vtpotè si esset calidus refrigerantibus, si frigidus calidis, si siccus humidis, si humidus siccis expugnaretur: quod non fit.

12. Relinquitur ergo vt dicamus proprietatem iecoris lædi, qua quidem læsa necesse est ad corruptionem tendere sanguificationem, occulto modo.

13. Pleriq; morbum Gallicum affirmârunt esse iecoris intemperiem calidam & siccam, eo delusi, quòd exustiones quædam in ægris appareant. Sed falluntur: quia omnes intemperiem calidam & siccam iecoris habentes, haberent morbum Gallicum: tum quia hydrope detenti, morbum Gallicum haberent hydropis remedium. Hoc autem sensus ipse redarguit: nam accidit, & hydropicum detineri morbo Gallico, & calida intemperie iecoris affectum illo carere.

14. Porrò, licèt exustæ materiæ symptomata in morbo gallico passim appareant, præsertim cùm radices fixerit malum, vt siccæ pustulæ, gutturis & columellæ erosio, & id genus alia; tamen hæc ex calida intemperie non oriuntur primitus, sed ex viciato toto iecoris temperamento, proprietate, scilicet illa, quæ rursus trahit secum humoris alicuius vicium, qui ex natura sua qualis fuerit, talia producet symptomata viciatus.

15. Dum igitur in definitione morbi Gallici dicimus esse corruptelam, intelligimus corruptionem fientem non factam, quod generis loco volumus intelligi vitantes tauthologiam, si dicere-

diceremus morbus Gallicus est morbus: cætera locum differentiæ obtinent.

16. *Quando verò dicimus corruptelam esse totius substantiæ, proprietatem intelligimus rei, seiungentes hunc morbum, ab illis, qui sunt manifestæ qualitatis: vt sunt, cachexia, hydrops, ictericia, inflammatio, obstructio, qui epatis sunt morbi, sed manifestæ actionis.*

17. *Dum verò dicimus iecur & humores in eo contentos corrumpi, distinguimus morbũ Gallicum ab aliis morbis totius substantiæ, qui non in iecur, sed in alias partes agunt, vt sunt pestis, scabies, ophtalmia.*

18. *Cùm autem vnumquemq; morbum, aut in intemperie, aut in mala compositione, aut in continui solutione (tot enim sunt morborum genera) oporteat collocari, morbum Gallicum ad intemperiem nõ manifestam, sed occultam referimus. Quod videtur sentire Hyp: in lib. de natura humana, qui cùm enumerasset quatuor humores, inquit: Dolet autem, cùm horum aliquod vel minus vel amplius euadat, vel in corpore secedat, atq; non in omnibus sit attemperatum. Vbi particula vltima: non in omnibus attemperatum: indicat non exactam temperaturam per ipsorum tota, ex parte materiæ, quæ est humidum & siccum. Etenim in affectu corporis inculpato ex omni parte, non solùm est moderantia quatuor elementorum, sed etiam exacta temperatura per totam materiam, vt Gal. in Com. eiusdẽ lib. vult: verbi gratia, lapidis generatio est ex humido & sicco. Vbi in hoc constituendo humidum non permeat omnes partes sicci ad amussim, non in omnibus quoque partibus constanter cohæret siccum; sed in aliis ad amussim, in aliis mini-*

 mè.

mè. Vbi ad amussim, lapidis constitutio est integra; vbi nōn item, lapidis illud temperamentum viciatum esse necesse est: & sic facilè ad corruptionem propendere, non quia vel nimis siccus, vel nimis humidus sit; sed quia non benè partibus suis per totas attemperatus partes. Sic de iecoris constitutione, & huius constitutionis corruptione intellige.

De Cavssis Morbi Gallici.

Conclusio II.

Occursus venereæ virulentiæ morbum Gallicum producit.

Corollaria.

1. *In congressu venereo incalescentibus corporibus, in pudendo mulieris aliqua portio infecti humoris relinquitur: quæ quandoque generans vlcus, quandoque sine vlcere proximos humores inficit: & hic continua serie vicinos: donec ad iecur perueniat praua qualitas, quæ superfluitantem in eo & toto corpore, humorem sensim ac sensim corrumpit.*

2. *Constat hunc morbum apud nos contactu, osculis, poculis, pectinibus, vestibus, linteis, infantis lactatione contrahi; tamen hæc ab inordinata impuræ libidinis volutatione originem habent.*

3. *Indos, à quibus hic morbus profectus est, extra veneris vsum populariter infestat: non aliter quàm nos Variolæ. Ideò Hispani facetè hunc morbum sua lingua, Magnam Variolam, vocant.*

4. Non

4. *Non est autem necesse, vt quemadmodum illos, nos quoque populariter inficiat. Nam illis ab astris defluxit hic morbus: nostris autem partibus per contactum communicatur.*

5. *In Numidia, & nigra Ætyopia, hic morbus nullus viget: & qui infecti se conferunt ad has regiones, solius cœli beneficio, sine vllis medicamentis sanantur.*

6. *Astrologi ingeniosissimi cœlestium domorum fabricatores, vt omnia solent, hunc morbum ex constellationibus syderũ productũ esse aiunt, scilicet in oppositione Saturni & Iouis, inter meridiem & occidentem in dominio Martis, Anno* 1493.

7. *Veriùs theologi efficientem caussam huius morbi Deum esse volunt: quo homines luxuriosè viuentes, & volutabro impuræ libidinis inquinatos sæuissimè exercet: vt meritò flagellum scortatorum dicatur.*

8. *Quare morbi Gallici, caussam proximam & efficientem dicimus esse virulentiam & contagionem: primùm occultis meatibus epar inficientem: deinde humorem in corpore superfluitantem.*

9. *Si sanguis superfluitat in massa, infectus efficit pustulas rubras: si bilis superabundans in corpore inficiatur, parit dolores capitis, erosionem columellæ, oris putredinem: si verò melancholia abundans inquinetur, producit pustulas nigras, carbunculos, ossium vehementes dolores, ad extremùm cariem.*

10. *In quam autem materia infecta decumbet partem, infrà ob grauitatem, suprà ob leuitatem, vel membri alicuius debilitatem; in ea maximè sæuit pustulis, tumoribus, doloribus, & vlceribus, secundùm humoris naturam distinctis.*

11. *Contingit autem in hoc morbo temporis longiori pro-*

gressu,

grefſu, craſſos generari humores, & in corpore abundare: ſi iecur ſit frigidum, pituitam; ſi calidum, melancholiam, quæ cùm non poßit gubernari, neque à natura mutari ob prauam qualitatem; detinetur & aduritur magis ac magis, ita vt non ſolùm exulceret partes, in quas delapſa fuerit; ſed etiam non parcat oßibus natura ſua duris.

12. *Hæc autem contagio per participationem ſpirituum naturalium, fuliginis, caloris, ſudoris, ſaniei, ſaliuæ, ichorum communicatur.*

13. Cauſſæ adiuuantes ſunt, habilitas corporis ad patiendum, ſpirituum imbecillitas præſertim naturalium, amplitudo vaſorum, ductuum & viarum, mollitudo partium, cutis raritas, excrementorum abundantia, cacochimia, plethora.

14. Quibus cauſſis fit, vt pleriq; citiùs, alij tardiùs, alij magis, alij minus contrahant hoc malum; alij vno ſolo coitu inquinentur, alij vix innumeris.

15. In mulieribus hoc malum latentiùs eſt, quàm in viris: quia ſubinde menſtruis purgantur.

16. Sed mirari ſubit, vnde hoc malum in pudendum muliebre ſe immiſerit, cùm antea non extitiſſet? Peripatetici reſpondent, accidentia ſuis in cauſſis tecta diu latere, ſuſcipereq; ſenſim incrementa, adeò vt ſenſus fallant: velut lapidis excauatio quæ à gutta fit: & ædium ruina non ſine apparatuum antegreßione ſubit: ſic virulentia illa in pudendo orta ex ſenſim antegreßis cauſſis, repentè apparuit.

17. Antegreſſæ cauſſæ menſtrua & putredo ſunt. Nam licèt menſtruus ſanguinis ſit ſecundùm naturam: nihilominus tamen aliquo pacto deprauatus poteſt dici præter naturam. Galenus

lenus autem 6. de loc. aff. 5. manifeste dicit, semen & menstruas purgationes retentas, venenum euadere. Praeterea experientia constat, menstruatas mulieres specula inficere, segetes, herbas, vt Columella testatur. Quinimò cum mulieribus tempore menstruorum coëuntes, lethales ac difficiles curatu acquirunt morbos; ideò in veteri testamento lege cautum est, ne viri cum mulieribus tum conuersentur.

18. *Et quemadmodum hoc virus producit ingentem in corpore putredinem humorum: ita putredo potest ad tantam violentiam peruenire, vt non solùm corpus, in quo est, pessime afficiat; sed etiam aliud corpus integrum inficiat: quod videmus fieri in phtisicis, in quibus nascitur tanta putredinis malignitas, vt adstãtes halitu et odore prauo, quasi aliquo veneno afficiat.*

19. *Est autem putredo mutatio totius substantiae, putrescentis ad corruptionẽ ab extraneo calore. Gal. 11. meth. med. 8.*

20. *Haec putredinis definitio ab Arist: definitione, quae est: Putredo est corruptio proprii & naturalis caloris in vnoquoq; humido ab extraneo calore: non differt nisi verbis. Cùm enim Aristo: dicit, Putredo est corruptio, id clariùs effert Galenus: Putredo est mutatio ad corruptionem. cùm autem dicit totius substantiae putrescentis, intelligit illud temperamentum, & corpus quod constat ex natiuo calore & humido.*

DE MORBI GALLICI NOVITATE.

Conclusio III.

Morbus Gallicus veteribus Medicis, Hypocrati, Galeno, Auicenae, & aliis ignotus fuit.

Corollaria.

1. *Morbi alij ſunt antiqui, alij recentes. Antiqui ſunt, qui à veteribus artis medicæ ſcriptoribus ſunt cogniti, vt ſunt, calculus renum, artritis &c. Recentes & noui ſunt à veteribus ignorati, quorum cauſſæ ab iisdem non ſunt diſcuſſæ, nec curatio præſcripta; vt ſunt maculæ in febribus malignis, Peticulæ vocatæ, in quorum genere eſt quoque morbus Gallicus.*

2. *Morbi habent ſuas periodos & tempora, quibus exoriuntur & intereunt. Lepra de qua in ſacris legimus libris, hoc noſtro tempore non eſt, quæ olim fuit: ſic Gallicus morbus illo tempore non fuit, qui nunc eſt.*

3. *Morbi habent vices ſuas, habent perſonarum, atq; etiam membrorum, regionum, ciuitatum delectum. Sunt qui non attingunt pueros, ſunt qui parcunt ſexui fœmineo, ſunt qui potentes impetunt, plebi verò parcunt.*

4. *Sudor lethiferus in Anglia ante annos ſexaginta, cùm antea non fuiſſet, cœpit. In Carinthia, tumores gutturarij. In Ruſſia noſtra dolores quidam neruoſarum in toto corpore partium, ab humore lento & viſcido, qui impetum faciens in caput extra caluam in complicatos crines, ſenſim vſque ad terram prominentes, excreſcit, cum dolorum ſolutione: hic noſtra lingua vocatur Gwozdźiec, quaſi dicas, clauus, eò quòd ad ſimilitudinem claui crines promineant. Venetiis frequens eſt claudicatio. Croſnæ, lippitudo oculorum. Præmiſliæ, alui fluxus vigent.*

5. *Hypocrates 3. Epyd. ſect 3. ſente. 4. morbos recenſet, quos in morbo Gallico ſimiles experimur, vlcera ſordida, capitis & men-*

& menti glabriciem sine febre, exulcerationem pudendorum & faucium, ossa etiam erosa & nudata.

6. Sed hæc vlcera & reliqui affectus, nō sunt morbi Gallici propago, nec similia his, quæ fiunt in morbo Gallico. 1. Quia illa antiquorum vlcera, non inficiebant cæteros, hæc inficiunt. 2. Quia dolores horum affectuum noctu non exacerbabantur; nostri noctu maximè sæuiunt. 3. Quia veterum pustulæ purgato corpore cessabant; nostræ purgationibus non cedunt, nisi habitus totius corporis Alexipharmacis euacuetur. 4. Quia dolores antiquorum cessabant anodynis; at in hoc morbo anodynis exacerbantur.

7. Pleriq; morbum Gallicum dicunt esse cum Elephantiasi eundem, vt probent hunc morbum, veterum etiam temporibus fuisse: sed si definitionem Elephantiasis Galeni inspiciant, facilè refutantur. Elephas, inquit, est, qui cutem crassam & inæqualem reddit, tum colorem liuidum in albo oculorum facit, exeduntur pedes manuumq; summæ partes, sanies defluit liuida et male olens. Quod quidem morbo Gallico laborantibus non euenit.

8. Auicena scribit de quodam genere morbi, quod Sahaffatum vocat, quod Lichen Græcorum est, inficiens vniuersum corpus, vel tantùm caput, quod volunt esse Gallicum morbum pleriq;. Sed cùm Gallicus morbus, non solùm caput, sed etiam cæteras partes infestet, non videtur probabile, Sahaffatum, morbum Gallicum esse apud Auicenam.

9. Ad extremum historiæ testantur, morbum Gallicum non fuisse cognitum veteribus, qui anno 1493. ex India in Europæ oras disseminatus est.

DE SYMPTOMATIS MORBI GALLICI.

Conclusio IIII.

Morbus Gallicus scortatorũ tyrannus, his satellitibꝰ cognoscitur, pustulis, exulceratione oris, palati, columellę, gonorrhea, bubonibus, tumoribus præter naturã, doloribus vehementibus in partibus neruosis, in tibiis pedum, manuum, maximè noctu exacerbantibus, sonitu auriũ, defluuio pilorũ, &c.

COROLLARIA.

1. *Qualis autem humor in corpore dominus fuerit, talem adsciscit sibi seruum. v. g. rubor sanguinis, rubras pustulas, vel bubones ipsos: bilis flaua, producit pustulas flauas, maximè in superioribus partibus ob sui leuitatem: melancholia nigras in profundioribus partibus, vt in ossibus cariem.*

2. *Dolores vehementissimi fiunt à vapore quodam noxio et maligno, qui propellitur ab epate, vel ab excremento coaceruato, per malam nutritionem in particula aliqua, & præcipuè circa periostia cuiuslibet partis, dum ossa, quæ per transsumptionem nutriantur, attrahunt vi alimentum sibi ineptissimum.*

3. *Tumores & gummata fiunt, aut quia particula non benè nutritur, aut quia coaceruat materiam excrementitiam, aut quia epar transmittit excrementum.*

4. *Exulceratio pudendi, ex confricatione mutua qualitate praua communicata.*

5. Exulceratio oris, palati, columellæ, fit à materia leui ad has partes ascendente, & illas corrodente acrimonia.

6. Defluuium pilorum, ob excrementi in crines mutandi putredinem, qua viscositas amittitur.

7. Bubones autem, quòd fiant nihil mirum est: siquidem etiam extra morbum Gallicum emunctoria ad inguina posita suscipiunt sanguinem vel redundantem vel corruptum.

8. Interdum autem bubones sunt sine dolore, interdum cum dolore: quando materia est pituitosa, frigida, crassa, viscida, sine dolore fiunt; quando autem acris, mordax, callida est, efficit dolores.

9. Gonorrhea fit, ob apertionem & raritatem vasorum seminariorum factam à materia acri, corrodente & virulenta.

10. Adnascitur in meatu vrinario caruncula quædam vel verruca, impediens transitum vrinæ, quæ eo modo fit, quo caro superfluitans in vulneribus, cuius partes superficiales irrigatione vrinæ adstringuntur. Et hic est tortor miserorum ægrorum acerrimus, quem submouere intus latentē difficilè est.

11. Solet quoque huic morbo febris quandoque famulari, vel ob putredinem humorum, vel ob feruorem viscerum, maximè noctu efferuescentium.

12. Neque verò omnibus his in afficiendis ægris vtitur ministris, sed leuioribus primùm, vbi incipit possessionem suam dilatare: postquam verò ditionem suam per totum corpus extenderit, atrocissimis vtitur tormentorum famulis, ita vt facilè dignoscas domini luxuriantis potentiam.

13. Incipiens potentia est, vbi in pudendo vlcera apparent: quod de iis intelligi velim, qui coitu hunc tyrannum accersunt

vbi mutatio caloris in facie est, corporis totius ignauia, sollicitudo, somnolentia interrupta, quæ partim ob viciatum alimentum, partim ob vapores turbulentos, qui cerebrum exagitant, fiunt. Augescens potentia est huius tyranni, cùm inflammantur inguina, in iecore massa sanguinis inficitur. Ad summùm autem redacta censetur, cùm adsunt ingentissimi dolores, vlcera, tabe manantia, iecoris substantiæ corruptio, tumores seu gummata, pilorum defluuium.

14. *Hi autem milites sine commeatu viuere non possunt, humores sunt quos depascunt. In principio humor fluit ad vlcus: in augmento ad bubonem, quo tempore humores in iecinore infectos existimandum est: in statu omnia mala, quæ in cute apparent, ex humoribus etiam infectis, proficiscuntur.*

15. *Ita autem hi milites suo domino fidi sunt, vt aliqua medicamentorum vi eiectum dominum, nisi eradicetur, latitantes expectent, ei iterum famulaturi reuersuro; vt si quid erratum fuerit in regulis custodiendæ sanitatis manifestò,*

Inuadunt corpus luxu vinoq; sepultum,
Viq; ruunt iterum, portisq; patentibus omnes
Accipiunt socios, atq; agmina conscia iungunt.

16. *Peius autem exercent corpus secundò reuersi, quàm primò ingressi, tum ob corporis prostratas vires in superiori pugna, tum ob humorum, quibus aluntur, profundam sedem.*

17. *Dolorum in iuncturis fixorum, caussa est imbecillitas articulorum qui suscipiunt, nec susceptum humorem propellere possunt crassum & rebellem.*

18. *Nocturnorum dolorum, caussa est nox frigidior & humidior, qua humores incrassantur, & incrassati minus à calore*

natiuo reguntur: tum quia noctu calor ad interiora reuocatur, tum quia àëris frigiditas densat poros corporis, vt excrementa acria penetrare non possint.

19. *Hæc & alia multa morbi Gallici signa nō indicant demonstratiuè infectionem luis venereæ, siquidem pleraq; horum etiam ex manifestis caussis accidunt, nisi æger se cum infecta muliere rem habuisse, vel consuetudinem cum infectis, vel se ex patre huiusmodi morbo laborante, natum esse fateatur.*

20. *Hæc tamen in morbo Gallico, à morbis aliis discernimus duobus modis. Primò, quando contumacia sunt symptomata, vt non facilè remediis cedant. Secundò, quando medicamenta manifesta virtute agentia non expugnant hunc morbū.*

21. *Et vt non est necessarium, vt in laborante morbo Gallico omnia hæc signa inueniantur; sic non facilè inuenitur tali morbo infectus, vnico symptomate comitatus: quia cùm fomes morbi Gallici situs sit in epate, à quo omnia membra alimentum attrahunt; vix fieri potest, vt ab infecto, humorem infectum non hauriant.*

DE VETERVM METHODO medendi.

Conclusio V.

Morbus Gallicus, quamùis veteribus ignotus fuit, curandus tamen est methodo à veteribus præscripta.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Omnis medendi methodus per indicationem fit.*

2.. *Methodus autem curandi, est ars indicatione inueniens iuuantia, gratia recuperandæ sanitatis hominis.*

3. *Indicatio verò, est per rationem insinuatio agendorum. Ratio hæc syllogismo vel entimemate constat: vt febris est morbus calidus; ergo indicatio oritur refrigerandi. Indicatio ergo est iuuantis seu vtilis inuentio. Ad Thes. 6.*

4. *Fundamentum indicationis, est morbi cognitio, qualis scilicet is naturâ sit.*

5. *Indicatio duplex est ab euidentibus, et à natura rei. Methodici illa vtuntur; hac dogmatici.*

6. *Cognitio naturæ morbi est meta, ad curandos morbos: ratio autem curandi consistit in inueniendis his, quibus morbi possunt curari, vbi adest spes curandi.*

7. *Quicquid ab experientia seiunctum est, id totum indicatio appellatur.*

8. *Quamuis autem omnes medicinæ partes medendi gratia sunt, tamen per solam curandi partem inuenitur indicatum, id est iuuans præsidium contra morbum definitum, & præsidij vsus, quantum, quomodo, quando, & vbi administrandũ sit.*

9. *Physiologica à curatrice distinguitur, quòd in hac non proponitur iuuans, sed potiùs indicans, quod est virtus: siquidem in parte Physiologica agitur de rebus secundùm naturam, quæ in vnicam virtutem referuntur.*

10. *Pathologica distinguitur à curatrice, quòd in Pathologica non proponitur iuuans, sed potiùs indicans, quòd est præter*

præter naturam, vt morbus, caussa, & symptomata.

11. *Symiotica differt à curatrice: quia in symiotica non inuenitur iuuans, sed potiùs indicans per signa, quòd dicitur signatum; vt temperatura ægri calida, indicat frigida. Hæc autem propiùs famulatur methodo curatrici: siquidem temperatura calida, vt vnum, accedente febre non intensa indicat præsidium, vt duo: vt scilicet temperatura coindicet, febris propriè indicet. Ideò Gal. quandoque confundit curatricem cum symiotica parte.*

12. *Pars medicinæ in tuenda sanitate consistens, differt à curatrice: quia licèt vtraque iuuans quærit, tamen illa iuuans quærit caussa conseruãdæ, hæc caussa recuperandæ sanitatis.*

13. *Quamuis omnes hæ medicinæ partes ad morbi naturam cognoscendam & tollendam pertinent; tamen his curatrix pars tanquam præcognitis organis ad inuenienda præsidia accommodata, quibus morbi propulsarentur, suo modo vtitur: sine quarũ cognitione, nullus potest methodo & arte morbos curare.*

14. *Vt ergo in cæteris morbis, ita & in morbo Gallico, curatio, contrariorum lege perficitur, methodo inuenta & administranda. Nam vt manifesta intemperies, intemperie contraria tollitur: sic morbus totius substantiæ, medicamentis, totius substantiæ proprietate contrariis, aufertur.*

15. *Vnicuique enim morbo occulto, opponitur aliquid secreta qualitate efficax: licèt extra methodum inuentum, tamen methodo administrandum.*

16. *Digna animaduersione est eorum temeritas, qui eximium aliquod remedium nacti, sine iudicio, sine ratione, sine arte vtcunque sors tulerit, statim ad curationem proferunt.*

 17. *Ideò*

17. *Ideò Hippocrates Artis initiò dixit, Experientiam esse fallacem: eam nimirum, quæ nec ratione, nec methodo, nec iudicio suffulta sit.*

18. *Quod verò Galenus dicit, facultates, quæ totius substantiæ proprietate fiunt, à methodo & ratione alienas esse; non idcircò dixit, quòd illis nulla methodo vti liceat; sed quòd, vt quæ sunt in calefaciendo, frigefaciendo, humectando, siccando, methodis non inuestigentur. Illas enim non ratione ab odore, vel sapore, sed sola experientia inuenire possis.*

19. *Aliud ergo est alicui morbo remedium inuenire aptum experientia: aliud inuento remedio vti, non experientia, sed iam ratione & methodo.*

20. *Nam licèt occultæ facultates, manifesta demonstratione sciri non possunt; methodo tamen & ratione, ad curationem morborum adhibendæ sunt.*

21. *Hinc Gal. 3. meth. med. 7. Hunc esse, inquit, optimum cuiusque particularis ægritudinis Medicum, qui iam methodum quandam comparauit: ex qua & dignoscere naturas possit: & cuiusque propria remedia, quæ sint, coniectura assequi.*

22. *Morbus itaq; Gallicus, veterum methodo comprehendi debet: ea autem est; per indicationem eius auxilia inuenire.*

DE INDICATIONIBVS IN morbo Gallico.

Conclusio VI.

Ex na-

Ex natura morbi, ægri viribus, partibus affe-ctis, indicationes curandi in morbo Gallico depromuntur.

Corollaria.

1. *Quia omnis morbus sub methodum curandi cadit; Gallicum quoq; morbum necesse est methodum curandi habere, quæ est per indicationes: quarum authores sunt, Hippocrates, & post hunc Galenus.*

2. *A natura morbi Gallici indicationes sumuntur: & est totius substantiæ iecoris corruptio, præsertim si morbus radices fixerit.*

3. *In huius ergo natura morbi, considerandum est aliquid factum, & aliquid fiens.*

4. *Factum, humores corrupti à contagiosa qualitate, qui indicant sui ablationem. Et quia humores hi continent ex prædominio manifestam intemperiem: medicamentis quoque manifestè agentibus auferri debent.*

5. *Fiens est in morbo Gallico fomes ille contagionis, qui sensim ac sensim agit in probos succos eos corrumpens, qui indicat quoque sui ablationem. Et quia hoc quod fit, est in eorum morborum genere, qui in totius substantiæ proprietate consistunt; etiã medicamentis à proprietate contrariis auferri debet.*

6. *Iam verò morbus Gallicus, aut est recens, aut diuturnitate temporis confirmatus. In recenti morbo Gallico, tantùm est fiens, quod potest auferri humoris redundantis, quem virulentia occupauit euacuatione, medicamento, manifesta qualitate operante.*

7. *A viribus ægri indicatio ſumitur, earum conſeruandi quod præſtatur alimentis & medicamentis.*

8. *Alimentis, quatenus nutriunt corporis membra ſolida. Medicamentis, quatenus remouent impedimenta nutritionis. Hoc autem fit propterea, quòd ad vires ægri, tota ſuperandi morbi ſpes negotiumq; deuoluitur. Natura enim ipſa morbum ſanat: Medicus autem eſt miniſter naturæ.*

9. *Vt autem vires indicant nutritionem vt conſeruentur; ita morbus indicat abſtinentiam: quia nutritio laborem naturæ facit pugnanti cum morbo, dum coquuntur alimenta.*

10. *Quare in morbis ſemper eſt de alimentis detrahendum: non æquè tamen ſemper, ſed quandoque multùm, quandoque parum, quandoque etiam in totum ſubtrahitur: pro morbi ſcilicet maiori vel minori violentia, ac pro virium conſtantia vel imbecillitate.*

11. *Vbi morbus maximè vrget, à multis alimentis prohibendi ſunt ægri, qualeſcunq; vires fuerint. Nam ſi hæ validæ ſunt, inſtauratione per cibos non indigent; ſin imbecilles, præterquam quòd alimenti copiam non ferrent, etiam in pugna aduerſus morbum à concoctione auertentur.*

12. *Gallicus verò morbus, cùm chronicus ſit, pleniori victu vtendum indicat; ita tamen vt non ſit victus ſanorum, ſed ægrorum, de quo pro temporum morbi diuerſitate ſubtrahendum erit; non tamen ita, vt in acutis ſubtrahere Hippoc: præcipit.*

13. *A partibus quoque in corpore malè affectis, ſumuntur indicationes. Nam morbus Gallicus, ſi malè diſpoſitam prehenderit partem aliquam, tanto magis vt debilem cruciabit: vt ventriculi imbecillis, prauis humoribus referti, virtutem, tantò ma-*

tò magis prosternet, quantò ipse deterior fuerit; sic de epate, de cerebro, de corde, atque aliis partibus in corpore maximi momenti intellige.

14. *Atq; tam horum cura suscipienda est diligens, vt intemperatæ per contraria temperentur, prauis humoribus refertæ mundentur, imbecilles roborentur.*

15. *Nec sufficit agendorum habere indicationes, sed oportet diligentiùs contemplari, an possibile & facilè sit adimplere propositas indicationes: siquidem Medici officium est, non solùm ab ægris morbos tollere, & impetus morborum sedare; sed etiam eorum curationem non aggredi, qui à morbis victi sunt.*

16. *Quare pessimè illi faciunt, qui vix dum conspecto ægro sanitatem temerè promittunt, non considerantes magnitudinem morbi, & ægri vires à morbo labefactatas: sic enim & ægrum vana spe ludunt: & medicamenta, quæ multis profuêre, pessundant.*

17. *In explendis igitur agendorum indicationibus tria cum Galeno 4. meth: 6. consideremus, magnitudinē morbi, affectarum partium præstantiam, & malignam morbi naturam.*

18. *Magnitudinem morbi Gallici coniiciemus, si fuerit morbus inueteratus, si ægri vires labefecerit, si aliqua symptomata grauia adiuncta habuerit; vt epatis fluxum diuturnum, febrim, cordis tremorem, &c.*

19. *Partium affectarum præstantia efficit difficiliorem curationem, quando cor, cerebrum, epar, ventriculus, pulmo, affecta fuerint.*

20. *Malignitas morbi Gallici cognoscitur, si fuerit ex hæreditate contractus, si diutiùs lateat in corpore, & multis post*

 annis

annis se prodat: cuius quoque naturæ est, venenum rabidi canis, si suctione lactis contractus sit, & multis annis perduret.

21. *Cum febri morbus Gallicus difficulter curatur, & eò magis, quantò maior fuerit febris: quia curantia morbū Gallicū sunt calida & sicca, febrim potiùs augentia non tollentia.*

DE CVRATIONE MORBI GALLICI.

Conclusio VII.

Præsidiis, partim ratione, partim experientia inuentis, sola tamen ratione, exclusa prorsus experientia administrandis, morbus Gallicus curandus est.

COROLLARIA.

1. *Tria sunt, vt in omni morbo, ita in Gallico præsidia;* διαιτητικα, χειρουργικη, φαρμακευτικα.

2. *Ex his prima duo, ratione inueniuntur, non experientia in morbo Gallico; quia hæc vires corporis, quæ manifestas caussas habent, maximè respiciunt; ideò ratione inuentis reparantur alimentis & chyrurgicis administrationibus. tertium autem ratione & experientia inueniri debet: ratione, quò ad administrationem in quantitate, tempore, loco, modo: experientia, quò ad occultum iecoris vicium, quod debet occultis medicamentis, quæ per experientiam cognoscuntur, expugnari.*

Victus ratio in Gallico.

3. *Dieta in morbo Gallico, non vniformis esse debet, quam*

Empi-

Empirici, perpetuò in hoc curando seruant, sed pro natura ægri diuersa, quæ hoc modo ratione inuenietur.

4. *Si natura ægri fuerit sicca, humor redundans siccus, victus humidus conuenit: si natura ægri fuerit humida, humor redundans fluidus, victus siccus competit.*

5. *In agentibus qualitatibus, alimentum non semper debet esse temperatum; sed cùm infectio fuerit in bile refrigerante, alimento vtendum est, cum in pituita aut melancholia calefaciente.*

6. *Quare alimenta possunt alterari in corpore frigido calidis, vt pipere, galanga, borragine &c: in calido frigidis, vt lactuca, cichorea, endiuia, ptisanna. &c.*

7. *Quantitas cibi pro virium constantia, vel imbecillitate & natura ægri, præscribenda est. In robustis vtendum est victu tenui, magis tamen de cibo in augmento minuentes; in imbecillibus crassiore victu, in statu tamen diminutiore: quia cùm in statu, natura cum morbo pugnet, alimentis plenioribus corroborabitur infirmior; validior tenui victu non obruetur.*

8. *Cibus consueto tempore præbendus est, nisi febris peruertat consuetudinem; tum enim quatuor horis ante inuasionem cibandus erit æger, vel post inuasionem, si æger perdurare poterit.*

Chyrurgica præsidia.

9. *Chyrurgicum præsidium præcipuum est sanguinis missio, quæ à morbi magnitudine, & à virium constantia indicatur:* Galenus *de curan: ratione per san: misionem, cap. 9.*

10. *In morbo Gallico, modò vires adsint, quod cùm primis metho-*

methodus Galeni obſeruandum præſcribit, miſsio ſanguinis conueniet, ſiue ſit plethora, ſiue cacochimia. In plethora quidem, vt minuamus plenitudinem: in cacochimia ob viciosum ſanguinem, tum vt fientem morbum prohibeamus.

11. Non aſſentimur iis, qui à ſola plethora indicari ſanguinis miſsionem mordicus tuentur, cùm in cacochimia, modò vires ferant, poſsit adminiſtrari: quod Galenus quandoq; ſe vſum eſſe felici cum ſucceſſu ſectione venæ in lib: con: Eraſiſtratum cap. 5 in hydrope & ſpaſmo gloriatur.

12. Etenim natura conſeruatrix eſt ſui: itaq; ſanguinem bonum cohibet quantum poteſt, permittit autem exire viciosum primò, deinde bonum ſi non poterit retinere: quia ſanguis bonus familiaris eſt & cognatus; viciosus peregrinus. Permittit exire per ſecretricem vim, cohibet per retentricem. Ad extremùm, cùm à facultate naturali ſegregatio & excretio fiat, per inſtrumenta qui ſpiritus ſunt, expellit probus ſanguis viciosum tanquam malleus cuneum, aut ventus vellum.

13. Hoc videre eſt in aliis excretionibus, vt per ſeceſſum dura excrementa, & ad mouendum ineptiora, deiiciuntur: ſuccus verò, elaboratus, tenuis, liquidus, lubricus retinetur. In vomitibus hauſto iuſculo multa eiiciuntur, iuſculi nihil. Quare non tantùm in plethora ſanguinem mittere licebit, ſed etiam in cacochimia, modò vires adſint: pueris tamen ſanguinem mittere non licebit.

14. Adiuuabunt ſectionem venæ conſueta vacuamina retenta, vt hæmorrhoides, menſtrua purgatio, è naribus conſueta ſanguinis fluxio: In quibus mittendus eſt ſanguis per chyrundines: in hæmorrhoidibus, per prouocationem menſtruorum:

in ...

in retentione, per cephalicam venam: in fluxione, è naribus; quia natura liberabitur grauedine, tanquam sarcina, è copia sanguinis retenti contracta.

15. *Fonticuli quoque, & cauteria rectè, & suis locis administrata, in Gallico morbo proderunt; vt in pedum doloribus, artheticis, et coxendicis in brachiis; quia intercipietur materia fluens ad pedes & ad coxendices. Hoc autem remedium, iis maximè competet, qui aliquas reliquias morbi Gallici post rectè administrata præsidia habuerint. Nam*

Interdum docta plus valet arte malum.

16. *Sic in vehementibus capitis doloribus, qui virtutem ægri quandoque prosternere solent, fricationes & ligaturæ fortes adhibitæ, suum habebunt locum; vt auertatur & dissipetur materia negotium facessens.*

Præsidia φαρμακευτικα.

17. *Medicamenta pro curando morbo Gallico experientia inuenta sunt: lignum Guaiacū, Salsa parilia, China, Sasafras, pruni syluestris radix, lignum buxi, cortices ligni Guaiaci: quæ epar occulta quadam facultate corrigunt viciatum; ita vt non amplius succi mali symptomata grauia adferentes generentur: dum horum vsu à centro ad circumferentiam per sudores educuntur humores venenata qualitate affecti.*

18. *Dixi occulta facultate: quia pleraq; medicamenta sunt sudorifica, tenuium partium, calida & sicca: non tamen concessum est his curare morbum Gallicum: ita vt specialis facultas illis videatur esse à natura tributa, oppugnandi & eradicandi morbi huius, quam ratione assequi non datur.*

19. Licèt autem hæc medicamenta experientia inuenta ſint; nihilominùs methodo adminiſtrari debent, nempè habita ratione temperamenti, virium, ætatis, magnitudinis morbi, partium affectarum, regionis, temporis anni, &c.

20. His autem medicamentis, ab initio ſtatim non eſt vtendum, niſi priùs humores vicioſi in ægri corpore ad expulſionem facilè parentur, & purgantibus pro rudiori parte euacuentur; tum viæ propriis medicamentis efficiantur patentiores.

21. Cùm itaq; præparatio curationis ferè ſit initium: Præparatio duplex erit, corporis vna, humoris altera.

22. Corporis præparatio eſt, dum corporis exaſperatæ viæ leniuntur, clauſæ aperiuntur, nimium patentes coanguſtantur, lenes exaſperantur.

23. Humorum verò præparatio eſt, quando feruidi & acres attemperantur, craſſi attenuantur, fluidi incraſſantur, duri molliuntur, lenti & viſcidi deterguntur.

24. Præparantia ergo medicamenta in morbo Gallico, 1. Debent eſſe iecoraria: quia in hoc affectu iecur læſum eſt. 2. Debent eſſe pro natura humoris peccantis in corpore ſuperflui & infecti. Nam quamuis tota ſanguinis maſſa inficiatur, ob epatis vicium; tamen ſuperfluus maximè humor corrũpitur, & vrget ægrũ. 3. Debent eſſe attenuantia in materia craſſicie peccante: coquentia in materia ad motum difficili: aperientia, & neruoſas partes reſpicientia, vt vis medicamenti poſſit ad diſtantes partes perduci, & virulentia in profundo corporis habitu conſiſtens, extirpari.

25. Itaq; hi longè à methodo curandi receſſerunt, & cum magno ægroti diſpendio curant, qui in ſingulis Gallico malo affectis

affectis humorem melancholicum præparant. Fateor quidem vt plurimùm exustos humores in hoc morbo reperiri; id tamen non fit perpetuum: præsertim si pituitosi, sanguinei hoc malo prehendantur, in quibus humor ob frigiditatem & humiditatem tantam exustionem non patitur.

26. *Vbi igitur fuerit humor frigidus, vtendum est betonica, saluia, puleio, marrubio, chamedri, chamepiti, scolopendria, fumaria, cuscuta, epatica, eupatorio, absintio, maci, gingibere, nuce moschata, gariophilis, trium generum piperibus.*

27. *In calido humore, vt in bile flaua, pituita salsa, vsurpanda sunt frigida, quæ maximè epar respiciunt, vt sunt cichorea, lactuca, endiuia, portulaca, plantago, gramen, lens palustris, hordeum, malua, atriplex, sandali omnes, semina frigida omnia, &c.*

28. *Singulis tribus vel quatuor diebus præparantibus sumptis, purgans sequi debet medicamentum, vt paulatim idonea educatur materia.*

29. *Sunt qui præparantibus & purgantibus simul non infelici successu vtantur medicamentis, quod facere non ausi sunt Hippocrates & Galenus: naturam imitati, quæ priùs concoquit, secernit vtilia ab inutilibus, postremò expellit.*

30. *Hoc certè non est absurdum facere in corporibus robustis, quia tolerant facilè: & vbi est magna copia prauorum humorum, qui non possunt vnica atq; altera purgatione educi. At in imbecillibus corporibus & humoribus crassis, auulsúq; difficilibus, hoc omninò cauendum est: ne violentia, & non naturæ cõsilio succis prauis excretis, ex morbo leui & minimè molesto, difficilem & periculosum faciamus. Siquidem curatio omnis debet esse, tuta, iucunda, & breuis.*

31. Quòd si præparantia & purgantia simul præscribentur medicamento radicitus materiam ducente non nisi post octauum, vel decimum diem vti licebit.

32. Præparantibus autem medicamentis tam diu vti necessè est, donec coctio humorum appareat in vrina: & tantisper euacuantia per vices exhibenda, quòad totius corporis expurgatio fiat materiæ iam corruptæ, vt omninò foras eiiciatur.

33. Vniuersi autem corporis purgatione peracta, conuertendum est studium, ad id, quod corrumpitur, quod fit. Hoc verò totum dependet ab epatis vicio in tota substantia consistente: quod expugnatur contrarietate medicamentorum à proprietate operantium: quæ cùm suprà enumerata sint, eorum natura cognoscenda est in manifestis facultatibus.

34. Lignum igitur guaiacum calidum & siccum est: circa secundum gradum: in secundis qualitatibus attenuat, liquefacit, sudores prouocat. Huc adde, quòd parte resinosa, quam possidet, contagioni atq; putredini resistit. Ex proprietate autem substantiæ mirificam vim & occultam habet ad extirpandum morbum Gallicum.

35. Cortices Guaiaci paullò minorem habent facultatem, nisi quòd vehementius exsiccent, cùm Gal: 6. de sim: dicat: Cortices omnium arborum magis, quàm ligna exsiccare,

36. Salsa parilia calefacit in primo gradu, exsiccat in secundo, attenuat tamẽ magis propter substantiæ suæ tenuitatẽ, & ob id valenter sudorem prouocat. Habet quoq; vim peculiarem, non solùm ad curandum morbum Gallicum, sed etiam ad lichneas, cutis efflorescentias, vlcera contumacia, & contra frigidos capitis & cerebri affectus.

37. Ra-

37. *Radix Chinæ temperata est, paullò tamen plus exsiccat: valet contra morbum Gallicũ in extenuatis corporibus, ad ptisim, asthma, hydropem, sputum sanguinis prolapsis. Contumacibus quoque morbis vtilis est, vt epilepsiæ, paralisi, &c.*

38. *Adest quoque Sasafras, lignum contra morbum Gallicum vehementissimi auxilij, non ita pridem inuentum, & facultatibus manifestis hæc omnia superans.*

39. *Lignum exhibetur, aut in substantia, aut in decocto. Decoctum magis probatur: quia in forma pillularum, vel electuarij, exhibitum lignum obstructiones parit; præsertim in corporibus densis, & venarum strictarum: quia hoc lignum cùm sit resinosum, generat succos, lentos, crassos, qui facilè obstruunt.*

40. *Decoctum autem vel simplex, vel cum aliis permistum paratur. Simplex, vbi non habetur alicuius partis insigniter læsæ respectus. Contrà in permixto.*

41. *Si fuerit insignis læsio in epate, permiscentur epatica, vt endiuia, cichorea, sonchus, gramen, platago, oxalis, eupatoriũ, lupulus, absinthium, prassium, paucedanum, chamædris, chamæpitis. In frigida læsione, calidis; in calida, frigidis vtendũ.*

42. *Si caput insigniter læsum fuerit, permiscenda sunt capitalia, vt rosa, viola, betonica, flores stechadis, lymphea, camphora, hiosciamus, saluia, pæonia, sampsuchus, serpillum, centaurium, &c.*

43. *Si ventriculus insigniter affectus fuerit, permiscenda menta, betonica, absinthium, saluia, sisymbrium, quæ & menta aquatica dicitur, quod de aliis partibus corporis insigniter affectis intellige.*

44. *Alias permiscetur lignum cum alijs, vt sasafras, cor-*

 ticibus

ticibus suis, vt vis eius augeatur. Pro singulis vncijs ligni datur aquæ communis ℔ 1. alijs plus, alijs minus, prout natura morbi exigit.

45. *Aliâs decoquitur lignum non in simplici, sed in stillaticiis aquis, vt cichoreæ, endiuiæ, betonicæ, hordei, prout exigit magis afflictæ partis indicatio.*

46. *Aliâs in vino cum aqua decoqui debet, cùm ventriculi ratio habetur. Maceratur lignum, & china 24. horis; quia densum, durum, & pingue: salsa parilia 12. quia tenuium partium, & citò humescit. Decoquitur ad medium, vel tertiam partem, prout maior facultas requiritur.*

47. *Talis decoctio dari solet mane ad ℥ viij. ante cœnam ad ℥ vi. & post sumptum syrupum sudor est excitandus, vt materia venefica euacuetur à centro ad circūferentiam sudoribus.*

48. *Pro potu decoctio sit ex remanentijs superioris decocti, addita aliqua portione recentis ligni, si requirimus maiorem facultatem in potu, dupla vel quarta pars aquæ in secundo decocto addi debet.*

49. *Sunt, qui ligni decocto admiscent medicamenta soluentia; vt senam, polipodium, epitimum, elleborum, agaricum; quod ita probo, vt sudores in tali decocto non excitentur: quia purgantia trahunt humores à circūferentia ad centrum. Quòd si sudor excitaretur, contrarij motus eodem tempore fierent, quod esset cum detrimento ægroti.*

50. *Decoctum propinari debet cum sudoribus excitandis, ad minus ad decimumquartum diem, ad summum ad sexagesimum diem; prout vel malum hoc extirpari; vel patiens tolerare poterit.*

51. *Quod*

51. *Quod si fuerit morbus in habitu, nec dolores & tumores decoctis his leniuntur aut cessant, vltimum remedium erit vnctio ex Mercurio, quod argentum viuum dicitur. Hoc habet eam vim alijs medicamentis adiutum, vt ex toto corpore materiam euacuet, suaq; vi ab habitu corporis repellat ad loca euacuationi accommodata.*

52. *Vnguentum ex Mercurio, variè componi solet, pro vario affectu, natura, temperie ægrotantis: hæc tamen compositio non inepta erit. ℞ Mercurij ℥ iij s. extincti in pinguedine porcina sine sale; olei laurini, vulpini an. ℥ ij. cineris vitis ℥ i s. Theriacæ magnæ ℥ s masticis & thuris an ℨ iij cerusæ ʒ i s misce, & fiat linimentum.*

53. *Quæ compositio tota fundatur in Mercurio tanquam basi: pinguedo porcina facit, ne vltro citroque argentum moueatur: thus, mastix, thiriaca magna, temperat Mercurium: cinis facit illum penetrare, & exsiccare vlcera: olea discutiunt, cerusa ob corpulentiam additur.*

54. *Hoc vnguento inungenda est pars tumefacta, & articuli, vt discutiat crassitiem humoris in parte tumida, & interius compellat ad loca conferentia. Nullum autem vnguentum hoc præstat ad commodius discutiendam crassam materiam, & in corpore quasi adnatam.*

55. *Sunt qui ex Mercurio in aqua forti cocto donec tota humiditas absumatur, conficiant puluerem: cuius grana quinque cum electuario vel syrupo admiscentes, conficiunt pilulam, quā vulgus chirurgorum desperatam vocant: sed cùm hoc sit valentissimum, & minus tutum medicamentum, ab hoc potius abstinendum putem.*

56. *A suffimentis quoque ex cannabrio in hoc curando morbo abstinendum existimo; quia vapor hic infestissimus thoraci & neruis sit.*

BREVIS QVORVNDAM SYMPTOMATum morbi Gallici curatio.

Pustularum.

1. *Pustulæ apparentes in cute, oriuntur ex humore praua qualitate infecto; ideo humor is auferendus est: deinde pustulæ exsiccandæ.*

2. *Aufertur humor sanguinis missione, in plethora, vt minuamus multitudinem: in cacochimia, vt minuamus vitium sanguinis. Sanguinis autem missio stante virtute, partitis vicibus, etiam sexies instituenda erit.*

3. *Deinde purgandus humor peccans, quo purgato ad decoctum ex salsa, vel Guaiaco deueniendum est, vt per sudores totum corpus euacuetur.*

4. *Postremo pustulæ exsiccantur aqua forti attemperata; aut aqua plantaginis cum alumine cocta.*

Vlceris curatio.

1. *Si vlcus in pudendo appareat, primò eius caliditas, quam erosio attestatur, auferenda est lotione frigida; vt aqua rosacea, nemupharis, &c.*

2. Deinde

2. *Deinde vlcus detergendum, vt sordes auferantur: quia impediunt vlceris coalitum. Auferentur modico Vigonis puluere cum vnguento albo, quod temperabit mordicationem pulueris.*

3. *In vlcere calloso, solo puluere vtendum est, vt callus consumatur, & extersio fiat.*

4. *Exterso & mundificato vlcere, cicatrix inducenda aluminis parte vna, tartari media, æris tertia parte, cum vino & aqua rosacea commistis*

5. *In contumaci vlcere, vnguento ex Mercurio fac inungi pudendum: quod exsiccabit, corriget membri temperamentum, & extinguet morbi seminarium.*

Verrucarum in membro curatio.

1. *Verruca cùm sit excrescentia carnis, auferenda est non ferro, quia dolorem excitans accersit grauia symptomata, sed deligatione.*

2. *Filo serico fac verrucam deligare, ac sensim ac sensim adstringere, & iterum aliquo temporis spatio interiecto fortiùs adstringenda, quòad decidat.*

3. *Ablata verruca, relinquitur eius radix, ex qua iterum enasci solet alia: proinde hæc auferenda est exsiccantibus & calidis, quo funditus eradicetur; vt sunt oleum sulphuris, calchanti, &c. partibus tamen sanis pecia ex diapalmate munitis, ne corrodantur.*

4. *Quod si patiens deligationem nolit sustinere, in pecia, oblita diapalmate, foramen ad magnitudinem verrucæ efficiendum*

endum est, per quod verruca emineat: & tum causticum in oleo amygdalino dissolutum adhibendum est, vt & verruca, & ipsius radix tollatur.

5. *Ad abstergendum vlcus, vel vnguentum ex Tapsia, vel lotio ex adstringentibus vsurpanda est. In contumacibus reliquijs verrucæ lotio adhibenda est, facta ex decoctione ligni sancti, vel corticum eius, in fine ebullitionis addentes vinum adstringens. Serum quoque chalibeatum, magnum extrinsecus potest adferre adiumentum.*

6. *Hæc autem fiant cum totius corporis purgatio præcesserit, alioquin fluxione malum fouebitur.*

Gonorrhææ curatio.

1. *Accidit per pudendum substantiam albam fluere, quæ non est genitura; sed pus: quia cum dolore exit: genitura autem sine dolore. Et hic affectus* Gonorrhæa *impropriè vocatur.*

2. *Pus autem illud fit ex multis vlcusculis in parte interna penis ortis, quod cum acre sit, mordax, per partes exquisiti sensus fluens dolorem facit.*

3. *In hoc affectu primo mittendus est sanguis, partim ne ob dolorem attracto humore fiat inflammatio: partim vt vicium peccantis materiæ minuatur.*

4. *Humor peccans purgandus est medicamentis proprijs, vt caussa fluxionis auferatur.*

5. *Detergendum est vlcus symphone liquido medicamento intus iniecto, deinde cicatrix inducenda.*

6. *Si fuerit magnus dolor; occurrendum est dolori auferen-*

tes

do caussam, quæ est acrimonia vrinæ, mordicans partes exulceratas: hæc temperanda erit syrupo violaceo, cum decoctione maluarum & liquiritiæ, &c.

7. Solet ex his vlcusculis enasci intus verruca, vel carnis tuberculum, si diutius durauerint, hæc tollenda erit candela cerea subtili, cuius summitas vnguento consumendi vim habente illinatur, intus indita vsque ad tuberculum, quòad illinatur illo vnguento. Vide Amatum Lusitanum.

Bubonis curatio.

1. Bubo est tumor præter naturam in aliquo inguinis latere ortus vel ex materia pituitosa, frigida, crassa, qui fit sine dolore: vel ex materia calida, acri, mordaci, qui fit cum summo dolore.

2. Bubo, aliũde ad glandulas, siue adenes fluente materia, generatur: proinde & id quod fluit sistendum, ne amplius coaceruetur materia in loco: & id quod affluxit; quia est præter naturam, euacuandum.

3. Sistitur materia fluens reuulsione, per sanguinis missionem, secta basilica eiusdem lateris, quæ cum loco affecto rectitudinem seruat.

4. Materia quæ in tumorem coaceruata est euacuatur, partim sectione venæ pedis eiusdem loco affecto respondentis: partim per insensibilem transpirationem, applicatis digerentibus medicamentis: vt diachylone, insperso puluere iridis.

5. Quod si materia ob crassiciem per halitum digeri non possit, sed ad suppurationem propendeat, suppurantia medicamenta applicanda sunt.

6. Pure iam apparente eius euacuatio tentanda est, apertione tumoris.

7. Aperitur tumor caustico, & sectione. A caustico cauendum est: quia dolorem excitat, qui rursus accersit nouam materiæ fluxionem. Sed aperiendus abscessus sectione, facta scalpello in decliui tumoris loco, vt via puri pateat. Gal. 13. Met. med. cap. 5.

8. Deinde fiat vlceris detersio: postea carnis deperditæ regeneratio: vltimò cicatrix inducenda est.

9. Quod si his malum non cedat, ad decoctum Ligni veniendum erit.

Dolorum curatio.

1. Dolores, sine vllo tumore, solent ægros infestare, vel in vna, vel in multis partibus consistentes. Hi curantur primò missione sanguinis, vt impediamus fluxionem sanguinis ad partem dolentem.

2. Deinde purgatione humoris peccantis, præmissa tamen prius humorum ad motum ineptorum præparatione.

3. Quod si his non cedant dolores, ad decoctum Ligni, vel Salsæ confugiendum est; et ab hoc ad inunctionẽ vnguento ex Mercurio partis dolentis: aut si in multis partibus dolor, vniuersalis inunctio præcipienda erit.

Cariei curatio.

1. Accidit aliquando, vt materia non solum carnosas partes,

tes, sed etiam ossa erodat, qui affectus Caries dicitur.

2. *Curatio huius in totius corpore expurgatione diligenti cō sistit, & in operationibus chyrurgicis.*

3. *Os corruptū, quia est præter naturam, auferendum est, ne sana pars vicium cōtrahat, sed ad consolidationem paratior sit.*

4. *Signa corrupti ossis erunt: primò, cum squamæ ab osse vltrò decident: secundò, quando liuido colore, vel simili pustularum ossa affecta fuerint: tertiò, quando medicamenta generosa non curant pustulas, & vnitatis solutionem in carnosa parte, coniectura sit vitium in osse ali.*

5. *Aufertur corruptum os abrasione, parte affecta primum scabra terebello reddita, deinde leuiter scalpello abrasa.*

6. *Aufertur quoque ferramento candenti, munitis tamen sanis partibus, vel instrumento ferreo, vel peciis lineis in aqua madefactis. Adustio vsque ad medullam fieri potest, exceptis ossibus capitis, & spinæ, in quibus noxia est tanta adustio.*

7. *Amoto osse corrupto, intentio est, vt partis temperamentum conseruetur corroborantibus, & in loco ossis abrasi callus genitus vicem suppleat*

8. *Postremò carnis & cicatricis generationi incumbendum est.*

9. *Quanquam hæc operatio non debet adhiberi, nisi cum iam æger decocto Ligni, vel Salsæ, pluribus diebus vsus fuerit.*

Gummatum curatio

1. *Gummata materiam habent crassam, viscosam, & indurutam, quæ incidenda & emolliendia primum erit extrinse-*

cis medicamentis: deinde per insensibilem halitum euocanda digerentibus.

2. In his tamen præcedere debet sanguinis missio, humoris redundantis in toto corpore purgatio.

3. Sed quia hæc materia ob crassiciem, & duriciem, contumax solet fieri, vsus decocti in tali morbo consueti, maximè probandus est, isq; diuturnus.

4. Quod si materia indurauerit vetustate, nec insigne actionis impedimentum faciat, vt congenea sinenda est potius, quã irritanda, ne dum hanc in parte aliqua nitimur tollere, toti corpori noxam adferamus.

Fluxus alui.

1. Fluxus alui, si non sit validus, sufficiet intestina corroborare, ne offendantur, vt lacte chalibeato, cum vitellis ouorum & pinguedine castrati per clysterem iniecto. Et hoc si fuerit criticus.

2. Quod si sanguinis fluxus fuerit symptomaticus, statim sistendus est; quia sanguis est thesaurus vitæ.

3. Sistitur per adstringentia, vt si lacti chalibeato, addantur pulueres boli armeni, sanguinis draconis, &c. per clysterem inijcienda.

4. Humor tamen acris, erosionem faciens, purgandus primò est medicamentis parum torrefactis; vt intestina roborentur, ne fluxionem recipiant: nam frustra adstringere properabis, nisi causam fluxionis, humorem acrem, auferas.

5. Distinguendus tamen locus affectus: si enim vlcus fuerit in in-

in intestinis tenuibus, per os medicamenta exhibenda: si in crassis per clysterem; quia per os integris viribus non peruenirent ad crassa.

6. *Extergendum vlcus in tenuibus, syrupum præbentes de agresta, ros. siccarum, myrtillorum, &c. In crassis, decocto hordei cum cortice, melle rosaceo facto clystere: si adest dolor, oleum adde rosaceum.*

7. *Expurgato vlcere, quod cognosces ex paucitate saniei, & ex sanguine puro egrediente, cicatricem inducentibus vtendum.*

HÆc sunt quæ de morbo Gallico in tanta authorum varietate, publicè asserere libuit; non tamen sine subiectis quantum breuitas permittebat rationibus, non validis illis quidem fateor; sed tamen ad veritatem illustrandam, non ineptis. Quod si aliquis abundat, vel ad hæc roboranda, robustioribus; vel ad euertenda, contrarijs, eaque docendi non contendendi studio proferat: conscij tenuitatis nostræ parati erimus meliora sequi.

Sub felicibus auspicijs Reuerẽ. viri, Domini NICOLAI DOBROCIESKI, Philosophiæ & Iuris vtriusq; Doctoris, Rectoris generalis Vniuersitatis Cracouiensis.